



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XIII. Quod nulli praedicient sine licentia praelatorum, & quod quaestores legant dumtaxat literas quas sibi concesserint dioecesani, nihilque aliud proponant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO
 CHRISTI
 1473.

nendum. Contrarium vero facientes triginta re-
 galium qualibet vice pœnam incurrant, Concilio
 sequenti & synodali testi æqualiter applicandam.
 Hortamur præterea nostræ prouinciæ prælatos
 ob reuerentiam Iesu Christi, vt ter in anno ad-
 minus celebrent. Si vero secus egerint, grauiter
 in sequenti Concilio arguantur.

XIII.

Prædicationis officium, quod animarum pa-
 bulum est spirituale, illis dumtaxat est commen-
 dandum, qui non ambitione temporalis substan-
 tiæ, sed animarum zelo intendant & profectui.
 Verum quia prælatorum (vt ita dicamus) incu-
 ria plures religiosi & clerici, ac alii nonnulli per ec-
 clesias laxatis habenis discurrunt, & plebibus va-
 ria & ridiculosa exponunt, & gratias concedunt
 innumeras pro exigua quantitate, quas nec im-
 mensa diuinæ largitatis clementia, nec sacra sum-
 mi pontificis auctoritas consuevit erogare, in no-
 stræ religionis vilipendium & fidelium pericu-
 lum animarum: Nos hostiles calliditates & astu-
 tias in Domino præcludere cupientes, sacro ap-
 probante Concilio statuimus, ne de cetero qui-
 cumque prædicatores, tam religiosi quam sæcula-
 res, per nostram prouinciam gratia prædicationis
 officium exercendi discurrere audeant quomodo-
 libet, nostra & episcoporum, in quorum diœcesi
 moram traxerint, non obtenta & edocta licentia.
 Quæstores vero qui sæpe non quæ Iesu Christi,
 sed quæ sua sunt quærunt, etsi bullas apostolicas,
 aut gratiarum concessiones asserant se habere, ni-

hilo minus teneantur eas diocesano diuulgandas præsentare; qui postquam illas examinauerit, continentiam & veritatem ipsarum bullarum seu indulgentiarum plene deductam per literas suis eisdem quæstoribus suis exhiberi curabit. Iidemque quæstores sola lectione huiusmodi literarum per rectores ecclesiarum, vbi eos declinare contigerit, contenti, nihil aliud verbo tenus vel scriptis per se vel per alios proponere audeant, cum & prædicta instructio satis sufficiens sit ad fidelium animos pio operi inducendum. Prælati vero qui contra præsentis constitutionis tenorem prædicationis licentiam contulerint, per mensem ab ingressu ecclesiæ, & officiales seu vicarii eorundem in præmissis delinquentes per annum ab officio ipso facto sint suspensi. Quæstores nihilo minus contrarium facientes per tres menses de mandato diocesani in carcerem detrudantur, & sic ablata duplicata restituant, fabricæ ecclesiarum & cameræ & prælati æqualiter applicanda. Rectores præterea ecclesiarum id obseruare teneantur, & hanc nostram constitutionem in tabula patenti & præcedenti in suis ecclesiis teneant, ne quisquam ignorantia præsidium sibi paret. Qui si secus egerint, triginta regalium pœnam, vt præmittitur, diuidendam eo ipso incurrant.

XIV.

Vt qui susceptæ suæ professionis habitum dedignantur, priuilegiis gaudeant sibi concessis, nec nostri iuris auctoritas, nec ordo exigit rationis. Frustra namque auxilium legis inuocat, qui com-